

www.e-rara.ch

**Ioh. Iacobi Harderi philos. & medic. doct. anatom. & botan. prof. ...
Apiarium observationibus medicis centum ac physicis experimentis
plurimis refertum, & scholiis atque iconibus pulcherrimis ...**

Harder, Johann Jakob

Basileae, An. 1687

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-62479>

Observ. XCI.[-C.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

rio, ceu partium teneriorum, & in difficili partu multum labis sustinentium, de quibus cum in histor. diximus tum Authorum monumenta amplius videri poterunt.

OBSERV. XCI.

Perverse Gravidarum imaginationis vitiosi effectus.

Certum est, quòd à multis quæsitum est sapiùs, prægnantium affectus, fœtus qui in utero sunt, posse vitiare, unde tot maculæ infantibus vini, suillæ cutis, punicorum malorum ac talium. Sed & illud experiëntiâ constat, gravidas vel terrore concussas, vel ex objecti monstrofi attentiori speculatione, fœtum similiter vitiatum, non rarò peperisse. In Moguntino accidisse refert Sebastianus Münsterus, ut duæ mulieres, quarum altera prægnans esset, invicem colloquerentur: currens alia supervenit, quæ loquentium capita collisit: quæ gravida erat, dum pareret signa timoris in infantibus expressit, siquidem duas puellas peperit, à summa fronte usque ad nasum è facie junctas, sic ut nonnisi obliquè spectare possent: Hujuscemodi historiam quoq; videre licet Exerc. XXII. ad Pythag. An. 1672. in nosodochio nostro foemina quædam infantulum peperit, quem cum Chirurgo ordinario vidimus aliquoties: huic labium utrumque firmiter coaluerat, & superius adeò excreverat, ut bilinguem primo intuitu crediderimus, juxta in utroque existentibus fissuris leporinis, &c. Mater rogata, culpam omnem terrificæ imaginationi, ex contemplatione hominis pari fissurâ laborantis, & labio superiore prætumido, attribuit: nec minus curiosis auribus digna historia infantuli, de qua Clariss. D.D. Theodorus Zuingerus, Amicus honorandus, cum An. 1680. in illustri Tigurinorum Athenæo versaretur, nostram sciscitatus est sententiam: Præteritâ, inquit, septimanâ infantem secuit 5. septimanarum Cl. Dn. D. Lavaterus me præsentem, cui ab ortu tumor quidam œdematosus lumborum vertebra occupârat, sero limpidio, acri, subflavo plenus, qui octo ante obitum diebus sponte rupit & subsedit: post ulteriorem hujus apertionem, statim occurrit spinalis medulla, sepimento os-

seo denudata, quumque singula accuratius examinarem, vertebrae lumborum divisas vel potius discissas deprehendimus, reliquis colli ac thoracis ad has usque naturaliter habentibus, ut hinc spinalis medulla vertebrarum basin interiorem opplens, nuda prorsus ad usque os sacrum, (quod rectè constitutum erat) apparuerit: Dictæ vertebrae lumbares cum eximerentur, omnes processibus rectis caruerant, transversis & obliquis naturalem magnitudinem contrà excedentibus: Retulit mater puerpera sexto ingravidationis mense, ob glirem pectori insilientem, subitaneo terrore se fuisse concussam, atque hinc mali omnis originem derivasse. Et quidem tumor externus, subtus velut caudâ donabatur, lineâ pilosâ, digiti longitudine, aspectu horridâ ad nates usque pertingente. Quid jam circa ætiologiam hujus affectus dicendum? Accusabimus ne imaginationis virtutes?

S C H O L I U M.

Siquidem rariorem ejusmodi symptomatum ex terrore aliisque gravioribus matrum pathematibus, in foetibus suboriri atque accidere solitorum causam aliquam pro viribus exponere conabimur in subsequenti historia Scholio, præprimis autem responsione ad intempestivas Lamsvveerdii querelas, eadem prolixius heic repetere opus esse non censimus.

O B S E R V. XCII.

De molarum generatione & differentiis.

Ad Illustr. S. R. J. Acad. Nat. Cur. HERCULEM.

Miraberis Amiciff. Vir, quoddam silentii diuturnioris culpam scetu isthoc confusaneo expungere rentem; Verum ubi & hunc pro sui maturitate, otii non parum postulasse videris, veniam largieris facile, si non encomium, ubi de naturæ defectu, perfecti ac distincti quid differuero? Causæ equidem, quæ ad tale quid audendum me coegerunt, variæ sunt: Præterquam enim, quoddam muliercularum nonnullarum sortem dolui, quas dum almæ sobolis aliquando excludendæ spe lastabantur, ante tempus deformem ejusmodi partum edidisse conspexi, sæpius non citra vitæ periculum, vel illud potissimum cordi fuit, quoddam de Molis varia blaterarent aniculæ, imo etiam quibus diva Pallas videbatur esse

faventior, neque de dubiis hic illic obrepentibus, in Veterum vel aliorum monumentis sufficiens invenirem responsum.

Animalia bruta, quibus nil sublime dedit D.O.M. præter terram tueri in isto uno cum homine conveniunt, quod sibi simile ex ovo æq; progignunt, paribus pro actione isthac animali obeundâ organis instructa; prærogativam tamen aliquam sibi juxta vindicare videntur, quod foetus suos plerumque legitimè edunt, neque ipsorum loco deformem ejusmodi massam excernunt, ad quod ipsum attendens Aristoteles, rationes sollicitè excogitavit, quare in muliercularum uteris potius, quàm cæterorum animalium molæ generentur, quæ quàm obscuræ sint, Tute haud difficulter intelliges, ubi tantisper attenderis, ita autem ille l. 4. de gen. animal. cap. VII. Περὶ δὲ τῆς καλεμένης μύλης, ἡ γίνεται μὲν ὀλιγάκις ἢ γυναιξὶ, γίνεται δὲ ποι τῷτο παύθῃ κύσεως τέλει, ὃ δὲ καλεῖται μύλην, ἥδη δὲ συνέβη πρὶ γυναικὶ συγγινόμενη τῷ ἀνδρὶ, καὶ ὁξασθὶ συλλαβεῖν. τὸ μὲν πρῶτον, ὅτε ἐγκύηται, ἡνέσταντο τῆς γαστρὸς, καὶ τ' ἄλλα ἐγίγνετο καὶ λόγον; ἐπεὶ δὲ ὁ χρόνος ἦν ὁ τέκω, ἐχ' ἐπικλεῖν, ἔπε ὁ ἐγκύη ἐλάττων ἐγίγνετο ἄλλα κινδυνόσασα ὑπὸ δυσεντερίας, ἔτεκε σπέρμα, ἢ καλεῖται μύλην. Περὶ μὲν δὲ πάσης τῆς αἰτίας εἰρηται ἐν τοῖς περὶ ἐλήμασι: πάρα δὲ ταῦτ' ἐν τῇ μήτρᾳ, ὅπερ ἐν τοῖς ἐχομένοις τὰ μολυνόμενα, καὶ ἔχει θερμότητα ὡσπερ τίνες φασὶ ἄλλα μᾶλλον δὲ ἀδύνατον θερμότητι, ὅτι καὶ ἡ φύσις δυσθανάτειν: καὶ ἔδύναται τελειῶσαι, ἢ δὲ ὅτι θείναι τῇ γενέσει τὸ πέρας &c. Ἄπειραν δὲ ἔχει, ἄρα τί ποτ' ἐν τοῖς ἄλλοις ἐχ' γίνεται ζωῆς, εἰ μήτε πάμπαν λελθὲν αἶπον ἢ δὲ νομίζεν, ὅτι μόνον ὑστερικόν ἐστὶ γυνὴ ἢ ἄλλων ζώων. καὶ περὶ τὰς καθάρσεις πλεονάζει καὶ ἔδύναται πέπειν αὐταῖς, ὅτε ἐν ἐκ δυσσπείας ἰκμάδι, συστῇ τὸ κῆμα τότε γίνεται ἡ καλεμένη μύλη: Tres sunt quibus Philosophus potissimum innititur, columnæ, quarum tamen nulla satis firma est.

Primam constituunt affectiones hystericae ex Galenicorum intemperie frigida & humida ut plurimum scaturientes: Secundam menstruum abundantia, unde materiae satis pro ejusmodi foetu suppetit: Et Tertiam caloris debilitas, unde concoctio legitima deficit: Illam quod concernit, cum conceptui ipsi, quod minus fiat moram non pariat, quis est, qui non futilem agnoscat? Neque etiam uteri vitio (qui non nisi commodum habitaculum tempore gestationis foetui pullulanti præbet) mola frequenter progignitur, uti quidem alii ipso cum arbitrati sunt, vel ex hujus intemperie, quæ Veterum figmentum est, ut raceam quicquid ex utero mali sequiori sexui accidit, non tam huic, quàm materiae heterogeneæ in massâ humor: abundanti, vel eò delatæ imputandum esse: Istam rejici facit commune nutrimentum, quo tam brutorum, quàm humani foetus fruuntur, quod pariter ex sanguine per vasa uterina ad glandulas vel cotylas delatum in vasa foetuum placentas plerumq; pre-reptantia recipitur: sin autem menstrua materno sanguini cum Ferne-

lianis contradistinguat, molę generationem ineptę plane cōcepit: Ille quoniam sanguinis grumescentię, varięq; ex ejus subsistentia prodire solite carnositates, quibus (quod à fluxu isthoc solenni libera sunt) bruta destitui novimus, pro molā genuina nunquam habendę sunt: Hanc verò quod spectat, ridiculam itidem credimus, siquidem nec uterus menstruorum coctioni sit emancipatus, neque molę succretio massę humoralis dyscrasiam aliquam necessariò arguat; aliam proinde ubi de modo generationis molę differuero, rei hujus rationem producere necesse erit, quam Aristoteli aliisque non potuisse innotescere mox patebit: nempe fundamenta quę ille adduxit, falsā hypothesi nituntur, ac si ex humore crudo & concoctu difficili mola progigneretur, cujus loco Hippocr. 1. *ἢ ἀφ' ὧν substituit γονὴν ὀλίγην καὶ νοσώδεα* semen modicum & morbosum, & libr. 2. *ἢ γυναικείων; πυχρὰ γονὴν ἐνεχομένην*, crassam genituram intus retentam: Neque isthoc melius Galenus l. XIV. de usu part. & cum eo Veterani plures; seminis masculini vel exiguitati, vel calori in illo deficienti, indeque utriusque illegitimę mixtioni culpam imputant, cum inquit: Jam ipsum fœmineum semen gignere per se fœtum non potest, sed maris semen omninò flagitat, cum quo oportet miscetur, ita ut utrumque semen in unum motum conspiret: Nam tametsi gallinę citra galli operam ova subventanea concipiant, ex illis tamen animalia excludere nequeunt, quandoquidem ut ea perficerentur masculi caliditatem desiderabant: At mulierem vidit nemo unquam, sine viro vel molam vel ejusmodi quippiam concepisse. Licet enim non errarit, cum ovum subventaneum à molā distingui contendit, contra quam aliqui faciebant, qui ex solo semine fœmellę cum sanguinis complemento molę primordia derivabant, seminis tamen masculi, à quo motus principium ille deducit, vel in se labem, minus in fictitiā cum fœmineo commixtione adeò facillè non evincet, perinde ut alii diu adhuc laborabunt circa facultatis formatricis, ob sanguinis affluentis copiam, errorem detegendum: Audacter forsitan mentiri videbor Medicis spermaticis, dum isthęc assero: Ast ex mendacio quod illi dixerunt prius, quare cœco impetu in aliorum sententias jurarent, veritatem me dicere, omnibus ut reor fiet manifestum: Seminis utriusque Parentis *σμίξις* explosa est hodie, utpote experientię & sanę rationi adversa: Harveyi viri celebris sufficiat autoritas, qui quamvis studiosè in damis ab ipso coitu indagavit, illam tamen pari, quo Veteres sibi imaginati sunt, successu nunquam reperit, ut aliorum vel meam nunc seponam, altoque, quod ajunt silentio præteream tot absurda, quibus excogitandis ansam suggessit, de seminis fœminei frigiditate, de facultate formatrice, spiritu plastico, aliisque pluribus: Propterea tamen generatio non incerta vel dubia, quam ex ovo fœmellę succedere Medici illustres dehinc compere-

runt,

zunt, successu laudatissimo æque ac felicissimo : Prolixius heic non edisseram, quod alibi pluribus commonstratum est; satis est inde & genituram crassam cum caloris imbecillitate, & seminis utriusque malam σύμμιξιν &c. eveni, sicque molæ natales tantisper illustrari : Citra Viri congressum molam pullulare posse, non tam Galeni autoritate, quàm firmâ ratione negatur, cùm Mola nil aliud sit, quàm conceptus falsus à posteriori, cui Virgines, nî labem sibimet intulerint, utique obnoxia non sunt, supraque jam monstraverim, aliud planè esse à molâ, quod ex morbosâ menstruorum restitutione prodit, cùm vel ipsorum Vett. effato membranas, vasaque varia, quæ Natura modò exstruxerat, inibi notare liceat; Verùm quidem est, in ovariis foemellarum pariter ac gallinarum ovula plurima recondi, maturationem & sæcundationem necessariam expectantia, falsum autem, quodd perinde ut istæ temporis tractu ova excludere possint, subventanea vulgò dicta; neq; his accensendum primordium illud est, è quo vitiato aut destructo mola plerumque succrescit : Nimirum ad molæ generationem ovum non maturum modo sed foecundatum insuper requiritur, quod primariâ naturæ intentione in uterum per oviductum devehitur, ut ex ipso foetus naturalis, ceu ex conceptu legitimo progignatur : Hæc ipsa autem naturæ actio cùm à violento quopiam pervertitur, molæ generatio in procinctu est; ejusmodi quid à perversâ matris imaginatione, vel vehementioribus animi pathematibus frequenter accidit : Imò cùm ipsæ partes in ovo, earumque fibrillæ tenellæ admodum sint, quin ab humorum (quibus aliàs nutriuntur) acrimonia, vel vehementiori impetu rumpi vel erodi, indeque in unam Massam rudem ac indigestam coalescere queant, extra aleam ponendum autumo : Nec temerè cum molâ confundendum ὡς ὁ Ἱπποκρ. quale nupero demum anno à juveniculâ à duobus circiter mensibus gravidâ, placentulæ adhuc adhærens excrementum vidi, illud siquidem abortum efficit qui foetus decenter configurati præmatura est exclusio : Ut autem quæ modo delibavi, evidentius se omnium animis sistant, sciendum est maximam esse foemellarum cum foetibus, quas in utero detinent consensionem, aded quidem ut hi illis intimè compatiuntur, eoque facilius noxam accipiant, quo cùm cerebri ipsorum, tum singularum partium fibrillæ teneriores sunt, neque ejusmodi imperus, de quibus modò, pariter sufferre vel iis resistere possint; Absurditatis heic iterum, sed temerè accusabor à Galeni filiis, si infantes matrum intelligere suspiria, audire ejulatus, videre afflictiones, vel vulnera perpeti dixero, cùm tamen inficias ire nequeant, iisdem, quibus illæ, animi pathematibus affici, & unionem hanc quàm maximè necessariam esse, pro tenerâ ipsorum vitâ sustentanda; Unde etiam admiranda Naturæ atq; hujus Authoris providentia est, quâ utrique horum cum sanguine

sanguinis pro aurâ vitali, tum spirituum pro sensu & motu influxum communem esse iussit, ita quidem, ut ex eodem liquore vitali, quem vasa matris placentæ suppeditarunt, & particulæ nutritiæ partibus singulis apponerentur, & spiritus nitro-aëreus, per delicatulos cerebri poros secerneretur : qui deinceps ex filamentis exiguis in nervos per sui propagines versus singulas corpusculi partes protensas pergeret, munia hic illic legitima obiturus : Quodd si ergo ex matris vitiosâ imaginatione, quæ variè utcumque succrescit, nunc ab externis motum vehementiorem plerumque concitantibus, nunc ab internis, recordatione pertinaci eorum quæ aliquando vidimus, spiritus impetuosè motitentur, ob recitatam partium teneritudinem generationis negotium facillimè confunditur, ut fœtus monstrosus, vel massa omnino deformis postmodum procudantur : Illustre est exemplum, cujus author Scrutinii veritatis l. 2. cap. 7. meminit de fœminâ quâdam, quæ cùm assisteret supplicio, quod rotâ in hominem flagitiosum statuebatur, aded à singulis ictibus facilè constrata fuit, ut filium pepererit à primâ nativitate fatuum, cujus singula ossa distracta erant pariter ac illius, qui ob flagitia commissa dictam pœnam sustinuit : Monstrorum quoque, aliarumvè deformitatum productiones, quæ ex intuitu rei similis vel vehementiori desiderio non rarè scaturiunt, hanc spirituum arctissimam unionem satis probant : Verissima tamen sunt, quæ Nobiliss. Pythagoras noster erudite hâc de re ad me scripsit : Ferme, inquit, molarum causæ reales magis sunt, quàm imaginariæ & permanentes, & diuturnæ potiùs quàm subitaneæ aut transitoria, (addo quæ primis mensibus imo septimanis maximè contingunt, ubi partes nondum penitus evolutæ sunt, & summè teneræ existunt, cùm ubi ad qualemcunque molem fœtus jam pervenit, fibræ robustiores redditæ, omni spirituum impetui non statim cedant) ærumnosa vita, tristitia, iracundia quoque & præcipitati animi furores, si crebrò, multumque iterentur, ad generandas molas plurimum contribuunt : Namque hi affectus omnes, cùm violenti sint, ad destructionem tendunt, eò libentiùs, quò subtilia corpusculi stamina, instar tenellarum arbuscularum ab impetuosiore vento facilè diffinguntur : ita experientia me docuit, fœminam fecundam aliàs ac multiparam, binis vicibus, cùm gravidam se existimaret, molam ovo anserino majorem, nunc sub tertii, nunc quarti mensis initium, fœtus immaturi loco exclusisse nullam aliam ob rationem, quàm quod utrâque vice, ut quidem confiteri necesse habuit, animo volvebat creberrimè, quàm infelicitè aliquot retrò annis peperisset fœtus binos, quorum alter ante tempus proruperat, alter maturus intra ipsa uteri ostia interierat : Et quid opus est verbis ? si animi pathema gravius potis est de fonte quandoque conceptum præcipitare,

quid ni eundem uteri parietibus adhærentem aliter pervertere possit? Sunt autem fœminæ, qui infortunatos ejusmodi fœtus vident, non rarò nolentes, ob organorum præcipuè vitium, quæ mollecula & tenera ab humorum acredine eroduntur, unde postmodum loco membrorum se-junctorum probeque configuratorum, deformis quædam massa in im-mensum excrescit, uti quidè cum aliorum Medicorum, tum propria rursus me id docuit experientia: atque isthoc in casu in malsâ humor, magis, quàm ovario, seu semine matris culpa quærenda est: Inde propterea ar-gumentum infallibile non depromitur, quascunque, siquidem humoribus intemp-ratis videantur esse refertæ, molas potius quàm fœtus legiti-mos progenituras, cum indubiæ sit veritatis, naturam ad perfectiorem finem omnibus modis collimare, & ob id ipsum embryoni in utero ex-istenti, alimento laudabilissimo tenero & blando pro viribus pro-spicere: Unde sæpissimè jam animadverti, in nimia istiusmodi caco-chymia, æque faciliè in matrem noxam redundare ac in fœtum: Diffi-cilius fortè esset Galenico clarè & distinctè exponere, quî in tali cor-poris *συνεργία*, fœmina semen fœcundum possit ad legitimam *σύνθεσιν* conferre; Quicquid sit, elucescere ex dictis reor, genuinas molæ cau-sas, quæ Vet. de generatione aliter planè judicantibus, non potuerunt non esse obscuræ: Operæ pretium jam erit, inquirere, ecurr animalia bruta vitiati hujus fœtus pariter cum mulierculis non sint feracia? Id quod Philo-sophus attigit quidè, sed nō explicuit: Si causas denuò ruminare libet, dif-ficile erit utcunq; illa penitus hinc vindicare: Imaginationis etenim vitia in his perinde observâtur, atq; in illis, & machinalis hæc actio, admirando artificio ad stuporem usque in iis absolvitur: Nolim autem Æstimati-vam quempiam iis tribuere, cujus ope (uti Peripaterici ogganniunt) ex speciebus sensatis non sensatas colligant, indeque objecto simplici oblato, de hujus bonitate aut malitiâ compositiones tacitè efformant, ita quidem ut conspectâ ~~re~~ horribili vicissim exhorrescant, & sicubi fe-mella utero gesserit, fœtum similem hinc excludat; Egregia certè bru-torum actio & horum Virorum ratiocinio dignissima, quæ propediem rationalium choro illa inferi efficiet: Dolendum sanè quòd homo, qui rationis lumine solus instructus, præ quibuscunque mundi creatu-ris triumphat, Creatorem suum dignius non veneretur, & quæ ceu prærogativæ insignis loco, ipsi unice concessit ad effigiem suam forma-to, animantibus aliis attribuere contendat, ceu in quibus pariles motus quandoque deprehendit, non cogitans superesse sibi nobilissimam ejus-modi motuū ducem, quâ destituta illa, talis æstimationis vel compositio-nis aut divisionis actus impossibile edere possint: Falsissima est hypo-thesis imaginari bruta non posse, nî hosce actus vicissim exerceant; ac si res tantæ difficultatis foret animæ, quam vocant sensitivæ, & men-tis

ris operationes ab invicem distinguere: ad ipsorum intentionem loquor, non sanioris Philosophiæ regulas; propriè enim nonnisi spirituum ab exterioribus ad interiora cerebri motus, idemque si ita loqui fas sit, circularis (quo vestigia aliquando impressa repetuntur, & filamenta interiora pariter, uti tum agitantur) illis competunt, qui actus in homine, ceu animâ rationali prædito, quæ de utroque diversimodè dijudicat, nunc sensus nunc imaginationis nomine veniunt, atque abhinc ille vel sentire vel imaginari dicitur: Sufficit autem quòd nudus iste spirituum motus, si violentus evadat, ex objecti monstrosi intuitione, vel graviore impressione, aut aliâ quâvis causâ concitante, etiam in brutorum fœtibus eadem ratione deformitates varias, vel monstrositates producere valeat, uti quidem exempla ab authoribus recitata evidentissimè evincunt, neque enim generatio animæ rationalis negotium est, ceu cuius bene esse ab istâ dependeat, nunquam certè monstrosi, vel alii deformes partus ita ederentur, utpote quas anima quovis modo præpediret, licèt mulieres temperando sibi ab intempestivis animi commotionibus, ex sanæ rationis imperio, ad partum naturalem multum utique conferre non eamus inficias, compescendo vel subtrahendo id, quod spirituum enormitatibus primariam aliàs ansam subministravit: Ex his autem nondum liquere existimo, molam in uteris fœmellarum brutarum, vel non vel rarerè productum iri, quin imò cum monstra pariant frequenter, molas pariter concipere posse, pluribus absonum non videbitur, utpote ex iisdem ferè, quibus illa, causis resultantes, ovi tenerrimis fibrillis non reluctantis. Fateor ejusmodi quicquam ex bruti utero excretum hætenus me non conspexisse, rogitoque studiosè quoscunque rerum naturalium, veritatis præprimis avidos, ut si quid de his compertum habeant, vel olim experiantur, publico mihi que non invident: Id verò dicere ausim, oblatum mihi fuisse nuperâ æstate ovum majusculum, quod cum aliis gallina incubarat, cujus putamine rejecto, non pulli stamina, sed materia rudis sanguinolenta oculis se objecerunt, manifesto, ut auguror, generationis interruptæ indicio; campus heic aperiretur amplius satis, de ovo à gallinâ incubato disquirendi, modò illud instituti ratio pateretur: Mihi hac vice satis erit, vel exhinc communicationem spirituum matris incumbentis, cum spiritibus pulli in ovo delitescantis aliquo modo probari posse; licèt enim concedam, partes singulas pulli cum materiâ nutritiâ inibi jam contineri id tamen statuere *ἀπὸ τοῦ* planè non videtur: Illius ope partium accretionem & conformationem legitimam quasi determinari, uti quidem in animantibus, quæ intra se generant, manifestius observare est: sed fortè nimis subtilis sum, qui novi incubationem gallinæ pro pullis excludendis necessariam semper non esse, ast excludantur hi

riter omni obscuritate non caret exemplum quod attulit cap. præced. de fœminâ, quæ elapsis graviditatis mensibus gemellos peperit, è quibus filiola justam magnitudinem erat adepta, filiolo parvo existente, & si hinc augurari licuisset, nonnisi quinque mensium; etenim superfœtationem (quam ex minoritate aliqui optimè concluderent, cum in gemellorum gestatione, licet unus altero sucei nutritii sibi plus assimilet, tanta tamen disparitas nisi ob causas evidentes rarè appareat) heic non adfuisse, ex placentæ unitate evincere annitur, utpote quâ manifestum sit, ex uno coitu conceptum utrumque pullulasse: Ego v. salvâ hujus Viri experienciâ, quam maximè æstimo, signum hoc infallibile esse non crediderim, siquidem contrarium sub ipsa ferè labentis hujus anni auspiciâ comperi apud fœminam, cui gemellos parienti adfuiti, quorum uterque propria gaudebat placenta, nec etiam scio, quâ generationi ex ovo, quam quidem negasse ipsum sed præter rationem novi, assertum hoc conforme sit, ceu in quo placentulæ vestigia jam agnoscimus: Excellentiss. Borrichius Volum. 5. Act. Hafn. superfœtationum exempla tria refert, in quibus omnibus ea fuit fœtum diversitas, ut duo circiter menses inter primam secundamve conceptionem intercesse viderentur, nulla vel placentarum pluralitatis, vel unitatis facta mentione! & quidem si de superfœtationis tempore loqui auserim, commodissimum illud primi menses esse videntur, non quod Veterum heic adstipuler commentis, superfœtationem irritam facientibus nî prius semen utriusque parentis probè fuerit commixtum & membranis investitum, quod effluere amplius non possit; Superfœtatio nusquam sanè ita contingeret, sed quia tum fœtus nondum ita accrevit, secundum omnes parietes uteri, ut ovulo denudè delabenti, ob nimiam ipsorum extensionem idoneus adhærescendi locus adimi posset: Quod si tamen quocunque tempore ovum adsit maturum, isque à liquore genitali spiritibus, & massæ humoralis matris motus semper imprimatur, quem pro conceptu, uti necessarium ita determinatum hætenus existimavi, conceptionem iterari posse, quis inficiari auderet? neque enim me moratur quod Hippocr. libr. *περὶ Πικνήσεως*, inquit, *Πικνήσκοντες ἢ τὴν γυναικῶν, ἢ ἂν ὁ σωμαχὸς μετὰ τὸ πρῶτον κύημα μὴ συμμεμύκη, συμμεμύκη ἢ μετὰ τὰ Πικνήματα τὰ Πιπκτόμια ὕστερον*. Conceptu quoniam factis, licet non negem os uteri claudi atque angustari, ea tamen asserti hujus infallibilis sequela non est: ubicunque post congressum maris cum fœminâ uteri orificium non illicè clauditur, ibi conceptus fieri nequit; siquidem clausura hæc, non tam pro seminis injecti, (uti supponit) quàm fœtus augescens ad legitimum tempus commodâ retentione à Natura instituta sit, sed de his *ὡς ἐν παρόλῳ*.

Ad tertiam molæ differentiam transeo, quam constituunt molæ vivaces ac volatiles, iis de quibus suprà, mortuis existentibus: De his aniculæ & mulierculæ plurima, uti communis ipsarum genius ferresollet, utrum autem fabellam merè referant, tute judica, qui experientia & judicii dexteritate emines! esse istas gravidarum carnifices, ceu quæ liquorem vitalem hiant ore exugant, & ubi semel exclusæ fuerint, in conclavi variè circumcurritare, dum pristinum, quem modò reliquerant, locum nî promptè occidantur repetant, sæpiùs inaudivi, quandoquidem cum risu & joco, quo istam sexûs Philosophiam dignissimam videbam, vitam & motum corpori utriusque horum fontibus destituto tribuentem: Interdum cum admiratione, ubi narrationi fidem exempla fecerunt, præprimis verò cum in Virorum eruditissimorum monumentis harum non levia vestigia animadverterem: Celeberr. Bartholinus Volum. I. Act. Hassn. Familiaris est (inquit) illa mola in Belgio, ubi vulgò Suygers vocatur, quasi sanguisuga, fœtui infesta fugilando, similis illi quam Levinus Lemnius describit l. 1. de occult. nat. mirac. In urbe nostra nonnullæ sunt Matronæ, sedulò caventes ne facile innotescat: Post fœtum in partu prodit, & cubiculi angulos pervolvitando inquietat mulieres, quæ omni studio persequuntur, ut enecatam comburant, credentes, nisi comprehensa comburatur, laborare aviculam in eo, ut iterum uteri latebras intret, quas si repetierit, mori puerperam. hæc ille. Quibus plura addidit Excellentiss. Sachs p. m. An. 3. Ephem. notatu longè digniss. Quid mihi super istà re contigerit paucis enarrabo: Anno 1681, matrona honesta, cum se à 4. circiter mensibus gravidam existimaret, d. 24. Octobr. sub vesperam ingentibus torminibus & doloribus ac si fœtum perfectum enixura esset corripitur, lochiorum fluxu aliquot ante septimanas jam comparente: Vocor sub mediam noctem à marito de uxore valdè sollicito: Accedenti ægrota corpus deforme monstrat, quod interea peruterum excreverat, talpæ figurâ & longitudine, pedes subtus quasi reconditos habens, ac parte anteriore proboscidem: Inde conspicua erant duo foramina, quæ nares & duo alia, quæ oculos referre dicebat obstetrix: dorsum ex infinitis constabat papillis, cujus medium linea cingebat subatra, latiuscula, intus verò præter massam fibrosam sanguinolentam quicquam aliud animadvertere non licuit: Hanc ex dictis molis seu sanguisugis unam esse, quam nostrates Graas vocant, adstantes uno ore omnes profitebantur, quæ ubi diutiùs delituisset in antro suo, vitam utique & motum adepta esset: His autem ego parum attribui fidei vel assensus, cum papillæ illæ placentæ figuram æmulatæ sint, reliquaque massa fibrosa quid fœtus tandem corpus isthoc devenisset, satis edocuerit: Sin item ferè historiā video recenseri à Celeberr. Wepfero Ann. 3. Ephemerid. nostr.

Observ.

Observ. 129. & Clariss. Salmuth de Matronâ, quæ d. 5. Aprilis 1621. massam exclusit carneam, palmam longam & latam viventem, os latum instar tineæ vel cyprini, sed non cavum, & duo puncta nigra oculos referentia, habentem: In terram hæc prolapsa non palpitavit modò sed variè se movit, ac piscis instar se convolvit: Quid de hisce judicandum sit, ancipiti feror animo: difficile enim mihi, si probè philosophari velim, molæ seu massæ carneæ indigestæ, in qua nec cerebri, vel nervorum vel cordis ulla reperiuntur vestigia, imò quæ ex sanguinis confusaneo quaquaversum affluxu succrescit, motum genuinum vel pulsus tribuere, quo vivat, circumvolet, imò unum alterumque membrum foetui quandoque demordeat: Aliorum nihilominus fidem irritam non faciam, vel experientiæ quicquam detraham, quin si optare fas est, vellem istiusmodi spectaculo præsentem esse posse, reapse enim, si quid istorum contingit, spiritus saltem ætherei præsentia requiritur, qui ubi locorum in tali massa secernatur, vel commodè stabuletur, versusque partes motrices influat, multæ adhuc meditationi ansam suggeret; Videnturque mihi ejusmodi foetus, quorum supra ex Bartholino aliisque meminimus, monstriosi magis quàm mola dicendi, utpote in quibus producendis, natura ab opere suo desciscit, vel totius vel aliquarum saltem partium ratione, nec opus heic repetere, quæ de variis animantium formis, quas ex accidenti quandoque producit, alii disseruerunt, sufficit supra laudatum Bartholinum, monstrosos illos accensere, mirarique potissimum, qui semina Parentum in eam materiam in utero transmutari possint; Quòd si verò molas etiam vocitare velint alii, per me liberum esto, modò non confundantur quæ ab invicem vel diversissima existunt. Molæ multiplices sicubi in uteri cavernis offenduntur, curiosam mentem identidem reficiunt, cujusmodi septem diversæ magnitudinis in virginis Episcopicellensis matrice repertos, etiamnum se servare Clariss. D. D. Anhornius Physicus Sangallensis meritis. Decur. II. Ann. I. Ephem. meminit: dixerim tamen ejus cum venia, veras istas molas non fuisse, si quidem virgo illa perstitit: impossibile quoniam foeminam in cœlibatu viventem concipere vel ova parere, heu! quod non, si isthoc obtineret, quotannis excluderent? Inde etiam Excellentiss. noster Pythagoras, parerg. 6. quod honoratiss. Aretæo inscripsit, tuberculum vel globosorum corporum nomine illas convenientissimè exprimit.

*Apologia adversus invectivam Jo. Bapt. de
Lampsvveerde Med. Colonienf.*

Quum in edendis Observationibus istis versaremur, lustrantibus Catalogum Francofurtensem, inter libros recens editos occurrit Histo-

ria Naturalis Molarum uteri Joh. Bapt. de Lampfweerde, liber titulo insignis & cujus desiderium ilicò nos cepit, quodd, cùm de simili materiâ Curiosus nostris aliquid tradiderimus, non pauca illinc ad nostrorum vel dilucidationem vel confirmationem nos deprompturos existimavimus. Indicem inde fortè fortunâ percurrentes, mox ista offendimus: *Harderus injurius in Hippocratem*: Grande nefas Artis nostræ tam illustri Heroi injuriam inferre, quem hætenus coluimus strenuè & in partes nostras pro viribus traximus, siquæ sensit aliter, non nisi cum modestia dimisimus vel emendare studuimus: ad caput hinc libri transeuntes, in cap. Elench. XX. seqq. legimus. *In quo causâ, quare bruta molis minus obnoxia sunt examinantur, & dissertatio de Molis Harderi, Natura Curiosorum Collegii membri in Observatione CLXXV. Dec. 2. ann. secund. tradita expenditur.* Gaudio non levi affecti fuimus, cùm Virum tam perspicacem, examine scriptum nostrum dignatum esse videremus, sicquæ votis nostris annuisset, p. 407. contentis: *sed de his plus satis pro virium modulo, quibus si meliora alii attulerint, non modo libenter obtemperabo &c.* at in dicto capite ne gry quidem, quod nos ferire posset, sed demum c. XXIV. horridis telis Authorem nos petere, & non in Hippocratem sed Aristotelem, quem se masculè defendisse, sordidæ gloriolæ cupidus jactat in indice, injurios dicere comperimus, crasso omnino errore, nec sine omni injuria, majoris siquidem æstimandus Hippocrates longè est, quàm *Aristoteles*, cujus meritis laudibusquæ hætenus nihil detractum ivimus, ceu Orationib. solennib. habitis de verâ philosophandi libertate, Fato Cartesii & Aristot. &c. comprobare possemus: at quid opus est verbis, rem ipsam aggrediemur, & attentius singula, quorum nos accusat & in quibus refellere sententiam nostram satagit, ruminabimus: revomet fortè ipse, quod contra nos Lectoribus pharmacum malè propinavit. Prius autem ab unoquoque æquo verum æstimatore enixè petimus, ut Dissertationem nostram cujus conscribendæ ansam initialia exhibent, universam heic evolvat, scopumquæ; qui alius non fuit, quam succinctè (non integrò quopiam tractatu) causas præcipuas molæ generationis indigitate diligenter perpendat, quàm de utriusque nostrum scripto judicet: Parebit ut speramus, non modò occasionem malè nobiscum agendi Virum hunc, cujus ne umbram quidem noveramus, non habuisse, sed scapham scapham nos appellasse, nec licuisse aliter, generationis negotium diverso prorsus, quàm Archi-Philosophus modo concipientibus & probantibus, imò intentare nobis varia perperam, nec nisi contradicendi studio Authorem ista propalasse, quod vel non ad mentem ipsius, vel quod ante ipsum de molâ scripsimus. Ab initio d. cap. hæc habentur: *Majorem lucem dictis nostris afferendi gratia, quedam prælibabimus ad Observ. &c. per Jac. Harderum ad Acad. Nat. Cur. Herculem transmissam, in quâ dicta questionis*

causas ab Aristotele enumeratas examinando alias substituit; sed dolendum quod quædam Acad. Nat. Cur. membra non recta utantur methodo ad veritatem inquirendam & quod Christianæ charitatis erga proximum immemores ab Ethnicis hac virtute superentur, qui cum Pindaro semper de mortuis bene loquuntur, nam condonandum foret Aristot. &c. in quibus non contentus est *ἀντιδόσις* nos accusare, alios in scenam vocat insuper quasi eodem vitio laborantes, quos autem multos esse cupit, fortè quod responsi nimium ipsi duros prævider. At quæ methodus est Clariss. hujus Viri, qui aliis regulas dicitur, quas ipse non observat, qui in veritatem inquirere satagit, præjudiciis plenus & Christianæ charitatis, quam an Aristoteles erga Democritum exercuerit, ipse cogitet, & quæ præ aliis erga hominem Christianum, etiam si pro Aristotele non steterit, elucescere deberet, valdè immemor. Monstrandum prius erat error, ex methodi lege, cujus reos nos facit, quam ita debaccharetur, & expendendæ rationes nostræ, antequam imprudenter Philosophi ratiocinia ceu ridicula vel futilia nos traduxisse diceret: *ἀσὶν ὀσφαιμὸς* quid sublit, *propria laus*, qua sibi blanditur, cùm ita: *αὐτὰν πρῶτος τὴν γλῆκιν ἔσθλην*, & in multis nobis praluxit, & sanior modernorum philosophandi methodus satis manifestè in ipsius horis exprimitur, ut patet ex nostra utriusq. *Philosophiæ clavi*: Magni fiat hæc ipsius clavis, nec gloriam quam inde mereri potest, invidemus, laudamus potius institutum, indetamen non videmus, quare vel corrigere vel rejicere Aristotelis opinionem non licuerit, si erronea sit, cùm ejusdem effata, ubi cum Recentiorum inventis conciliari possunt, extollamus pariter ac reverenter habeamus: atq; hæc demum genuina in veritatem inquirendi via est, nullius jurare in verba Magistri, nec præconceptis hypothesebus pertinaciter inñiti, quod ipsum facere palam est, dum ejus verba omnia ad veritatis lanceam reduci, & evidentiori sensu illustrari posse arbitratur: Illustris sanè & Hercules si feliciter succederet, conatus: quem autem irritum fore haud pauci nobiscum credent, caveatque Vir Clariss. ne Aristotelis scriptis sensum ubivis affingat, de quo vel non cogitavit, vel quem studiò subtrivit, ut ab aliis non carperetur, ceu Doctiss. Ludov. Vives de ipso eruditè judicat, hocque ipso, alios non sine passione aggredi se monstret: Quicquid sit, constitueramus in materiâ molæ occupatis Aristot. mentem, quam scripto reliquit, aliorumque primùm expendere, atque hinc demum nostram censuræ publicæ exponere, si illâ acquiescere non possemus, vel erroneam deprehenderemus, quod ipsum Viro præfato incumberebat, firmare nempe prius illius rationes, & nostras dehinc solidè explodere citra convitia vel nugacia verba: quod quæ factum sit, ulterius videbimus: Pergit p. 261. *Primo mirum videtur, quare textum Græcum Aristot. sine Latina interpretatione observationi suæ inseri curaverit, cùm procul dubio noverit, æquè ac ego hoc sæculo viros literatos non tantoperè Græcis delectari, ut sine interpretatione sensum tam citò percipiant*: Egregiam verò hinc laudem & spolia ampla

reportat

reportat, qui toti Literatorum choro ignorantiae notam inurere non erubescit, ceu Graeca nescirent, imò ne his quidem oblectarentur: grande nefas de Eruditis ita sentire, ne dicam Medicis, quorum praecipui antecessores Hippocrates, Galenus, Dioscorides, Aristotel. idiomate Graeco scripserunt: & in quorum sensu ipsorum penetrare difficile est Graecae literaturae imperitis: annon potiori jure redarguisset, si latinam interpretationem junxisset, utpote cum iis scribamus potissimum, de quorum in his linguis ἀπερίστα dubitare religio esse debet, & mirari desisset, si ad columnas, quas latinis verbis mox exhibemus, quarumve praecipue causâ Aristot. textum adduximus, diligentius attendisset, ceu docent verba: *Ad quod ipsum attendens Aristot. rationes sollicitè excogitavit &c.* Potius mirari subit, eccur nos imprudenter accuset, quòd multa & praecipua in textu graeco omiserimus, quae nobis examinanda proposuerimus, praeterquam enim, quòd in manuscripto nostro appositae fuerint liter. &c. quibus Lectorem ad Aristot. textum ulteriorem sicubi velit, remisimus, etiam non videmus, cui bono illa inferere debuissimus, utpote cum de morâ quam molae in uteris mulierum nectere solent, ejusque & duritiei causa inibi agat, nobis verò potissimus scopus fuerit, rationes cum exhibere tum expendere, quas ille affert, quare infrequentius in uteris brutorum animantium foetus iste succrescat: finalia verò quid opus addere, nisi paginam implendi gratiâ, cum saltem conclusio sint, ex prioribus suppositis: ἀπορίαν δ' ἔχει &c. ἀπὸν ἢ δὲ νομίζεν fluens, quam expressimus ibidem, quum ita: *ad quod ipsum attendens Aristot. rationes sollicitè excogitavit:* ut taceamus, ulteriorem hinc saltem occasionem nobis natam fuisse, de Aristotelis obscuritate conquerendi, quam ipsemet Vir φιλοσοφώτατος inficiari nequit, ceu in seqq. patefcet, ut in eadem prorsus nobiscum versetur navi, & nonnisi convitiandi causâ, quae hactenus memoravimus scripserit: unde etenim tam certa habet indicia: nos doctiores aliis videri cupere, quòd secuti Viror. Clariss. exempla interpretationem latinam non addidimus, ut rationes modò cit. jam seponamus. Et qui Scopitica ista meruimus? *ut autem Curioso Lectori constet, qualis sit curiositas hujus naturae Curiosi, textum latinum adjiciemus, anne curiositas, quam hactenus falsè non affectavimus, ex latinâ interpretatione adjectâ aestimanda?* Benevolus Lector examinet singula quae cum pag. 262. tum seq. 263. Author propalat & non quae curiositas, sed quanta sit Viri hujus eruditio & ἀγχινοια, haud gravatim videbit. Pergit: *Dum Harderus Archiphilosophi rationes &c. opera pretium duximus ejus columnas in hac materiâ audacter, sed non concinne delineatas, conferre ad balancem recta & non praecipua rationis:* utinam verò facta verbis respondissent, multam sanè apud nos iniisset gratiam, sed contrarium potius elucesceret: quoniam enim ejus ratio praecipua non fuit, dum mox adjicit: *annon pro com-*

muni Rei literariae & proximi bono praeiitisset, suos conceptus ad sensum, qui in verbis Aristotelis delitescit accommodasse, quam ejus textum orbi literario ut futilem & ridiculum traduxisse: Ac si Aristoteles veritatis norma esset, ad cujus dictamen omnia animi nostri sensa, possint, nequeant, accommodanda sint: ipsemet quoque Imperatoris auctoritatem sibi arrogat, de aliorum scriptis non sentiendi modò & judicandi, sed pro lubitu ipsorum sensum torquendi, spiritus Esavitiici manifesto indicio: textum Arist. non culpavimus sed rationes rejecimus, quas neque pro eo, quod contendeat probare, neque pro generatione molae claras satis ac sufficientes esse deprehendimus: vel Authoris exemplo, qui praecipuam earum cap praeced. (quo fato nescimus) ipse explodit, quae verò ex problematibus adducit, studiò omisimus, partim quòd animus praecise non fuit evolvere causas, quas pro generatione dicta obtrudit ceu supra dictum, partim quod novimus erroneam de generationis naturalis negotio ipsam fovere hypothesein, cui innixus impossibile erat, ut de molae natalibus benè sentiret, inde etiam subjunximus, alias nos daturos causas, quae Aristoteli diversè planè à nobis sentienti, non potuerint innotescere, negavit enim quàm maximè semen muliebri sexui, & de ovariis ipsius nihil nòsse cupiit. videtis Prodr. Physiol. cap. VIII. Examinemus nihilominus ex superabundanti verba, quae in problematibus habentur, & patebit ad nostrum institutum illa vel nihil vel parum fecisse, imò pariter ac priora obscuritatis plena esse: *Ἄλλ' ἢ ἴδ' ἂν μὲν ἐκ τῆς σπέρματος ἢ ἡμετέρης γένεται ζῶον, ἢ τὸ ἡμέτερον ἐκγονόν ἐστιν ἴδ' ἂν ἢ ἐξ ἄλλης πνός, ἢ μέρης, ἢ ἀποκρίσεως, ἢ ἡμέτερον: γίνεται δὲ σπορμίωνων πολλαὶ ἐκ τῆς σπέρματος*: è quibus verbis palam est, dictam de semine genitali maris sententiam fovere ipsum, & ex eodem putrescente foetus alios deducere (hactenus haud distinctè satis explicato, illo alio aliquo nostro, ex excremento vel parte prodeunte) inde etiam excrementa illa & putredines, non nostra esse asserere, ceu inferius explicat, quae verba à Censore omissa heic addere consultum est: αἱ δὲ ἐκκρίσεις καὶ σήψεις ἔχ' ἡμέτερας αἰτ' ἑτεροῦ καὶ ἀλλότρια τῆς φύσεως ἡμῶν εἰσι, ἢ δὲ ὅσα ἐν τῷ σώματι γίνεται. τὰ σώματα θιτέον &c. Et paulò inferius: εἰ δ' ἐν ἐκ μόνῃς τέτ' τῶν ἡμετέρων γίνεται ζῶον, ὅρθως ἂν τὸ ἐκ τέτ' γινόμενον, ἐκγονον ἡμέτερον εἴη μόνον: καὶ ἐκ τῆς σπέρματος ἢ ἂν π' ἄλλο γένεται, οἷον σκώληξ σαπὲν, ἢ καὶ ἐν τῇ μήτρᾳ φθαρέν, οἷον ἂν λέγ' ἔρατα, σὰν ἐκγονα λεκτέον, ὅπως δὲ ἐκ φθαρέμενης γινόμενα, σὰν ἐπ' ἐξ ἡμετέρων ὄντ' γίνεται &c. Non multum heic litigabimus, an ex semine corrupto vermis prodeat, cùm hujus falsitas à nobis demonstrata sit alibi, neque an veritati congruum sit, ex isto secundum mentem Archiphilosophi corrupto monstra generari posse, multò minus an omnia perspicuè dicta sint, cùm ipse Vir Clariss. hæc verba generalia satis esse fateatur, & terminos obscuriores, qui Recentiorum experimentorum luce illustrari opus habeant. Quid verò opus obscurum servare, si illustrius habere possimus? vel cui bono, sensu sæpius extorto, illustre cum

obscurum reddere? Homo fuit Aristoteles æq; ac alii, nec labi nefcius, quî, si peccavimus ex mente *Censoris*, ansam peccandi uberem nobis exhibuit: Præcipuè autem ignorantiam suam prodit Author dum ἀπερὸς ὁνόντως, verba nostra mutilatim allegat: *Hæc ipsa autem natura actio, quum à violento quopiam pervertitur, mola generatio in procinctu est*: nunquid violentum nostrum, quod in seqq. magis explicuimus, causæ materialis ex quâ generatur mola, & quam præcipuè Aristot. in verbis allatis spectasse perhibetur, vices sustinere dicimus, vel sibi persuadet ille? minimè gentium, ut necdum videamus quî in causâ generationis molæ, si problema dictum inspexissemus centies, tam facile convenire potuissemus: Ipse quoque Censor agnoscit, efficientis causæ violentum nostrum naturam induere, & hinc malè se Aristot. effato liminaria nostra subjunxisse, ceu eadem forent, vel in eundem sensum commodè trahi possent, confiteri opus habet. Qui verò impudentiam suam excusabit, quod commodius vocabulum in locum humoris concoctu difficilis nos non apposuisse, audacter effutit, cum tamen ovi non maturi modo sed fecundati, è quo, singulis ritè & naturaliter succedentibus fœtus aliàs prodit, mentionem sæpius fecerimus, illudq; p. naturale, quod in molæ generatione ipsi accidit, deinceps illustrare tentaverimus, licet non ad ipsius palatum: nec minus detestanda est *Observatoris* perfidia, dum ob errorem Typographicum, qui in voce conceptu pro concoctu, non nobis, Basileæ enim Ephemerides Curios. non imprimuntur, sed aliis Viris occupatissimis irrepsit, infidelitatis crimen imputat, ignarus se in eodem luto & gravius multo hædere cum in finalibus illius paragr. ita: *An verò ipsius causa firmioris imitantur columnis &c.* ut jam humorem acrem fibrillas ovi erodentem quem humori incocto & crudo substituit, & è quo ceu Materiali & principio immediato Aristot. molam deducit linquamus: Sufficit enim vel tyronibus in Chymiâ notum esse, *acredinem*, cruditatem & ἀσυνέτην Philosophi non necessariò involvere. Atque hætenus verbis quibus potissimum nos impetiit Vir Clariss. satisfacere studuimus, postulat jam instituti ratio ut ad rationes nostras quas aggreditur, & (quâ bonâ methodo ipse viderit) cum Aristotelis connectit, tantisper attendamus: Præ omnibus verò satius fuisset, *Aristotelis fundamenta* primùm confirmare, ethinc nostræ quæ subsequuntur, fortiter convellere, ut sic clarè & distinctè veritas pateret, quamvis termini de clarâ & distinctâ perceptione Aristotelico Galenicis perinde accepti non sint? *Primo inquit Aristotelico Galenicus clarius & distinctius exponere poterit, quomodo ex concussione corporis, quæ sæpè tam vehementer concitatur à passionibus hystericis, tenella genitura vel ovi ut ipse vult, fibræ & partes citius & certius rumpi possint, quàm à subtilissimis & invisibilibus ideis à matre imaginante ad illas transmissis, contra quem hic pugnet non videmus, cum enim spirituum humorumque concitatio-*

nem, pro causâ efficiente abortuum æque ac molæ agnoscamus, qui possemus negare passiones hystericas eosdem effectus producere: videantur modo, quæ de humoralis massæ *dyonegoria* in quibusdam fœminis molæ ratione adstruximus, in quibus ipsis passionum hysteriarum aliarumvé formalem rationem, fortè distinctius attigimus, quam *Censor*, utpote qui ab *heterogeneo* irritante, sive circa uterum collecto, sive aliis in locis, aut spiritibus accrescente, motus ejusmodi spasmodicos deducimus commodius; ut taceamus acres ipsius vapores ex uteri inflammatione exhalantes, quos fibrillas ovi erodere & disrumpere author est, egregio experientiæ suæ fundamento; *futilis* sanè *ille* magis est, qui utero inflammato vel conceptum contingere, vel si contigit ante, ab utero facile retineri ait: nec scimus quod pravæ conformationis uteri vitium *ille* intelligat, vel enim coangustatus est uterus prorsus, & ne conceptus quidem fiet, vel si recipi ovum potest, ejus expansioni resistere pariter non potest, ac molæ, quam ejus fibris compressis succrescere autumat: Ea quoque quæ in dissertat. de uteri vicio diximus, ab antecedentibus separanda facile non sunt: injuriosè verò in nos est quam maximè, dum subtilissimis & invisibilibus ideis, quas satis intellexisse non videtur, à matre imaginante ad fibrillas ovi transmitti solitis nos deludere satagit, nec metuit dicere negare nos passiones hystericas conceptui moram injicere posse: Intemperiem frigidam & humidam, cui dictæ passiones sec. Vett. potissimum innituntur, respeximus, quæ utique conceptum impedire nequit, nec tam absurdi sumus, ut dum passionibus hysterice actu fœmina vexatur ipsam concepturam statuamus: quot verò sunt, viduæ, virginesvé quæ affectionibus hystericeis, ex causâ satis notâ vexatæ, ubi maritantur liberantur & promptè concipiunt. *Secundum* quod regerit nos magnopere non ferit, nec multis respondere opus est, cum in dissertatione satis qui singula intelligamus, explicuerimus: id modo *Censorem* rogamus, ut rationes nostras & Aristot. mentem prudentius alias examinet: Præterit *ille* menstrua, ceu causam infrequentiam molarum in uteris brutorum; nos, eandem copiam sanguinis ad *horum* uterum devehî, quæ ad fœminarum tempore conceptus solet, monstravimus, indeq; hanc rationem prorsus non sufficere, nî aliud lædens accedat: malè quoque crepat iterum *insensiles ideas*, quas per aëra volitantes, ipsius cerebrum vehementer turbasse haud difficile est conjicere: In *tertio* verò, quem in nos transverberat *Hercule*, dum circa finem sapere incipit, agnoscendo perfectionem rei non solum in externâ figurâ, colore aut sapore definiendam esse, sed ad intimarum & minimarum particularum figuras, ordinem & situm, in humoribus esse ampliandam, desipit quam maximè ab initio: *Compertum* habebit, quomodo certius ratione debilitati caloris menstrui sanguinis particule minus legitimè disponi

disponi possint, ad exiguos tenellarum fibrillarum poros subeundos, quam ex inertium idearum transverberatione &c. Etenim non negamus ob debilitatum calorem, (cujus speciale subjectum *Censor* non indigitavit) sanguinis menstrui quoque particulas minus legitime disponi posse: ast uteri calorem constanter excludimus, & menstruorum suppositam concoctionem adhuc dum ridiculam credimus, imò risu dignum *Vir. Clariss.* si ad molæ generationem vel *hujus* vel etiam sanguinis calorem debilem absolute requiri dicat, aut persuasum habeat adhuc *acrimoniam* semper imminuti caloris effectum esse, & tenellis ovi fibris molæ formam conferre: ut malè omninò non fecerimus, nec *Authori* in nos invehendi ansam præbuerimus, *scapham* *scapham* appellando. Cæterum de rationibus nostris quas aggreditur, scire oportet; illas non unâ serie, sed per totam ferè dissertationem explicatas & illustratas esse, volumusque paucis, à violento spirituum humorumvè motu, variè utcunque succrescente & horum quandoque acrimoniâ, teneras ovi fibrillas primis præcipuè menfibis, facillè succuti, rumpi & rodi, sicque generationis negotium infringi, & monstroso vel indigesto chao sensim ansam suppeditari: Numquid inquit *Censor* si rerum substantiam spectemus eodem redit: nam si motus caloris & effervescentiæ vitalis in ovo vel in genitura est fortior, quàm motus ab idearum translatione impressus repercutitur, & consequenter ingenitus ille calor ovi, vel ejus effervescentia vitalis necessariò debet esse debilior, antequam illa violenta animi passio, vel perversa matris imaginatio, teneras concepta genitura, vel embryonis fibrillas confundat, consequenter illud violentum imaginationis, affectuum, vel erosione debet esse efficacius, quàm interna vis activa in ovo, sive illa vocetur calor naturalis, innatum calidum, facultas conformatrix, vel virtus plastica, equidem vera manet Aristotelica propositio, quòd ratione debilitati caloris fiat confusio in embryone teneriori. Imò verò falsam esse hanc ipsam, nò melius explicetur, aut nos saltem non ferire, modò ostendimus: nec opus fuisset tot obscura nomina adducere, quibus *Mens solidæ scientiæ* cupida confunditur magis quàm eruditur, & in quibus illustrandis operam sæpenumerò perdimus, præprimis ubi *Galeno* vel *Aristoteli* sententiam affingimus de quâ ne per somnium quidem cogitarunt: Ejusmodi sanè homines, pro sui magis gloriâ quàm veritate certant: Nec est *Viri docti* aut prudentis, *Aristotelis Galeni* aliorumque præcepta ita venerari, ut ubi à vero deflexerint, falsa illa esse, aut fictitio vel futili inniti fundamento, dicere non audeat: Ecquæ libertas nostra foret, quam certis cancellis aliis cum includimus, si quod res est, profiteri non liceret? Num cæcam obedientiam Ethnicis his juravimus, quam tamen nec Christianis, quicumque demum fuerint, deberi firmiter credimus. Mox *Principium internum specificum* crepat, (quod, secus quàm ille arbitratur, in cit. verb. & seqq. explicuimus) vel potiùs causam efficientem, cujus ratione tam confusa massa procedatur,

cudatur. *Primò, inquit, nos præsupponere erroneum principium, quòd femellarum cum foetibus, quos in utero detinent, consensio fiat per filamenta exigua in nervos versus singulas corpusculi partes protensa. Secundo non tam clarè perceptibilem esse humorum acrimoniam, quibus tenella, illa nutriuntur stamina, cum in ipsis primordiis lacteo alimento in genitura concluso tamdiu alantur, donec placenta ejusq; vasa præparata sunt, in quibus vitalis liquor à matre transfusus de novo corrigitur: Ast præterquam quòd verba ista sensu carent, cujus rationem nos nosse seqq. monstrabunt, crassissimi erroris Vir accusandus venit, qui foetum, nec primis partium staminibus conspicuis, colliquamento primùm nutrirì, postque demum per vasa umbilicalia liquorem vitalem haurire confidenter statuit, contra omnem Medicorum bonè sensatorum mentem: Enimverò quì colliquamentum istud digerit, partibusque agglutinat, spiritu omni destitutus embryo? Novo quoque vocabulo genituram sive ovum sive conceptum appellat, cujus auctoritatem ex Archiphilosopho non probabit: nec minus contradictionis accusari potest, quòd humorum acrimoniam, quam in antecedentibus Aristotelis causa vehementer defenderat, jam dubiam faciat, præter rationem & experientiam: Sunt denique alia plura superiùs inserta, quæ prolixè heic repetere animus non est, ne Lectori fastidium pariamus: Id addimus, videri nobis Authorem sententiam de imaginatione & spirituum motu, animique pathematibus, quæ non tam nostra est, quàm aliorum Virorum Clarissimorum, non benè intelligere, aliàs causarum realitatem, quam Nobilissimus Pythagoras noster eruditè adumbravit, in affluxu humorum solo non quæsisset: nec scimus quid per fortuitum spirituum motum, & illum qui dependet à nervis, certò velit: possunt sanè citra nervorum læsionem, spiritus ita concitari & ipsis cum humores, ut satis efficaces sint pro partium in ovo confusione pariendâ, quem effectum, nec pellicula durior impedire, neque aquæ fetus obtundere possunt: Infantes sanè in utero materno tantâ sunt debilitate, tamq̃ue indigi, ut arctissimâ unione cum matribus illos conjungi voluerit Creator sapientissimus: Et licèt ipsorum Mens à Mente Matris sit separata, cum tamen ipsorum corpus ab ipsis Matris corpore non sejungatur, utrumq; iisdem prorsus sensationibus, iisdemq̃ue passionibus affici posse censemus: imò eadem cogitationes, quæ in mente matris motuum corporeorum occasione excitantur, in ipsis excitari possunt; suspicamur tamen, studio horum illustrationem præteruisse, quod difficile omninò est, ad exempla quæ in Dissertat. attulimus, quorumq̃ue rationem pro viribus explicuimus, ex malâ hypothefi respondere: Femellarum cum foetibus consensum per continuationem utriusq; nervorum, quis unquam attigit? Certiora ex Anatome repetitâ, quam observat, istæ comprobant, edocti sumus; sufficitq̃ue ratione probè utenti, per indicibilem spiritus ætherei agilitatem ac perniciatatem*

citatem, isthæc explicavi: Adversario verò nostro *Φανόμωνα* in histor. alata exponenda sunt evidentius, si hanc spirituum consensionem exterminare cupit, possemusque vel hanc unicâ retorsione contenti esse: plura autem dicimus, & quidem 1. si sanguis matris per vasa appropriata ad cerebrum matris pariter advehitur, atque fœtus, (ut nemo inficiabitur) statuimus utrobique æthereum quod per vesiculas pulmonales accessit, à sanguine reliquo ibi secerni, spiritumque animale potissimum constituere, id quod pro *communitate influxus* requirebatur. 2. Spirituum eam invicem esse affinitatem & nexum in gravidis, idque ex sacrâ lege quam Deus animantium bono sanxit, ut, si vel maxime per humorum concitationem consensum istum inficiaremur, ex determinatione tamen hac, spiritibus matris in vehementi contentione existentibus, similem spiritus fœtus inire, vel si mavis ab animâ, *illorum* occasione motâ, imprimi *hiscæ* possit, ceu supra attigimus: sufficitque ista spirituum per vasa ad uterum accursio, à quibus unâ ferè sanguis exagitur, cum simili ritu ad fœtus interiora tendat. pro cerebro hujusque incolis, partiumque aliarum fibrillis miserè succutiendis: Motus autem isti oculis mentis intuendi potius sunt quàm corporis. Concludit tandem, nos non addidisse *quasnam præcipuè partes matris imaginatio pervertat, & acris humor erodat*: At ex cujuscunque graviore labe, magis adhuc principis malum pullulare posse, ex iis quæ diximus, unicuique ratione suâ utenti constabit: Explicat quoque ista fusius *Malbranchius* cap. 7. l. 2. Scrutin. Veritat. in quo generationem monstrorum accuratè excutit, & ad hunc evolvendum *Censorem* remittimus, ne prolixâ allegatione tædiosi fiamus. Nec vero, ceu jam innuimus, animus fuit integrum de *Molâ* &c. tum temporis tractatum conscribere, neque nunc ista pluribus excussissemus, nî monstrandum fuisset, insultus hujus Viri verbosos fuisse magis quàm Herculeos, nostræque causæ labis nihil intulisse, nedum honoris quidquam detraxisse apud æquos Veri Æstimatores: Quia autem difficultatem omnem *illius* ratione sustulisse se credit, simulque causas reddidisse evidentiores, quare bruta (quæ à molarum generatione nunquam nos liberaffe, attente Dissertat. nostr. legenti patescit) infrequentius molam pariant, Examini perinde ut *ille* nostra, sed amico singula ipsius suo tempore subjiiciemus: Non injuriosis Verbis ipsocum acturi, si in uno alterové hallucinatum fuisse deprehenderimus, sed sanæ rationis argumentorumque pondere, id quod *ipsum* pariter deinceps facturum confidimus; secus enim agenti respondere amplius jure detrectabimus.

OBSERV. XCIII.

Uteri pertinax inflatio post partum.

Anno 1683. d. 19. Junii Fœmina juvenis & robusta, cui gemellos parienti adstitimus, cùm pridie sub vesperam filiolum feliciter enixa esset, persistente abdomine prætumido, cessantibusque ferè enitendi doloribus, nostram efflagitavit operam, quam pro viribus præstitimus, fœtumque alterum, ruptis quibus adhuc involvebatur, membranis, divinâ freti gratiâ, pedibus prehensum eduximus, vivum adhuc, licèt dudum vitæ signa in utero non ediderit: Liberata ita ab onere misella, nî secundinæ totidem vicissim excretæ fuissent, nihilque in uteri cavernis reliquum deprehendissemus ipsi, gravidam se jurasset adhuc, ob hypogastrii, uteri præprimis in hoc contenti, tumorem ac inflationem globosam, similem ut ante partum, quæ per plusculos dies imò septimanas pertinaciter substitit, non citra matris adstantiumve gravem metum: Meliora interim sperare jussimus, & cum ligaturâ tum aliis internis externisve medicamentis convenienter prospeximus istiusmodi uteri distensionem, in usum hinc vocavimus fomenta, sacculos ex carminativis & discutientibus, unâ cum injectionibus uterinis, internè verò Diaph. Martiale præcipuè exhibuimus, sicque malo sensim medelam paravimus.

S C H O L I U M.

Admirandam & æterno præconio dignissimam hominis in uteri anterioribus generationem, variis in locis jam explicuimus; satis tamen eandem speculari, minus laudare Naturæ providentiam nequimus, quæ ovulo delabenti angustum primum domicilium præbuit, ne fluctuaret miserè inter illius latebras, mox verò embryonis succrescentis regiam amplissimam constitueret: sanè ad stuporem usque rimati fuimus, equi tam pusilla tam angusta pars factò conceptu in tantam molem extendi ac dilatari possit, istamque difficultatem commodum non expedissemus, nî fibrosa ipsius compages, plicæque in Virginibus, aliisque non gravidis, in quas etiam post partum redit, succurrisset; enimverò ejusmodi structuræ partes extendi queunt usque, fibrarumque motricium ope, expandentis excretionem promovent, ut sensim ad pristinam
aliiscum

aliiscum eamque arctiorem unionem redeant, primamque figuram recipiant: Interdum autem moles corporis contenti tanta est, ut fibræ supra modum extendantur, talesque aliquandiu subsistant, tantum non enervatæ, atque hinc etiam uteri in excludendo functio impeditur: tale quid cum vesicæ à lotii nimietate & diuturniore suppressione, imò etiam in cordis ab aëris vehementi inflatione contingere superius monuimus: Idem apud fœminam hanc accidit, cujus uterus à mole gemellorum ita secundum omnem sui periphæriam expansus fuit, ut quamvis ab utrâque sarcinâ feliciter liberata fuerit, fibris tamen ejus admodum tensis ac labefactatis, cadente quasi potentiâ contractoriâ, aliquandiu inflatus distensusque permanferit, donec cum fasciatione, ceu adjutorio quodam, simulque medicamentis emollientibus & blandientibus nervinis externis & internis, sensim ad pristinæ figuræ recuperationem fuerit dispositus ac deductus: Interdum distensionis ejusmodi durantis causa aliqua in utero stabulari solet, viz. secundinæ integræ non rejectæ, ceu jam sæpius animadvertimus, vidimusque iisdem, sive sponte, sive medicamentorum emollientium, injectionum præcipuè ope, exclusis atque eliminatis, istud incommodum cessisse: in puellis ejusmodi hypogastrii prominentia paulatim vires acquirens, mali plerumque est ominis, quod Virginitatis amissæ suspectas reddit: Sunt tamen quæ istam hominum injuriam infantes incurrunt, hancque sexus sui miseram sortem vitæ dispendio non raro luunt, dum causa ventris tumidi, totam machinam sensim destruit: Exemplum istius ex Celeberr. Baumgarteri, Archiatri & Senatoris Sangallens. Graviss. literis heic addemus: Rem miram, inquit, quam hic 14. mens. August. An. 1676. vidimus, addere operæ pretium est: Puellæ 30. annorum, à quatuor annis in magnam molem excreverat venter, gravida primis mensibus, molâ post nonnullis, hydrope uterino aliis laborare videbatur, tandem suffocata periit: Cadaver aperiendi mihi copiâ factâ, in utero aut saltém abdominis cavitate, causam tumoris esse nemo dubitabat: sed quid sit? dum musculos abdominis à peritonæo separare conor, integerrimo adhuc peritonæo, erumpit maximo cum impetu aqua turbida & cœnosa, quinquaginta mensuras excessisse, ii qui viderunt Medici & Chirurgi unanimi consensu affirmant: hæc inter musculos abdominis & peritonæum collecta erat, & peculiari membranæ, rugosæ intus instar tunicæ interioris ventriculi, & multis fibris carneis intertextæ inclusa. In fundo illius sacci, alius tumor erat, similis illis, quos steatomata vocamus, caput infantis superans, multa in illo pinguedo, non nihil aquæ illius turbidæ, & aliquot vesicæ plenæ aquâ limpidissimâ: uterus planè naturalis, nihilq; p. n. situ tantum viscerum ob compressionem ab aquâ mutatus: hæc ille, quæ oppidò cum historiis de hydrope ovarii tubarumque muliebrium confèri merentur.

OBSERV. XCIV.

Umbilici inflatio & pervietas.

Ann. 1683. Infantulus νεογμός, tribus post partum septimanis, cruciatibus circa umbilicum atrocibus affici cepit, cōparente tantillo rubore, & hypogastrii tensione insigni citra ulterius mali indicia: suassimus hinc ut regio hypogastrii ol. rosar. chamom. hyperic. &c. inungeretur, & calidiusculè applicaretur sacculus ex fl. sambuc. chamom. sem. lin. & croc. lacti incoctus, bis tervé de die, quibus ita usurpatis, brevi post per umbilicum materia purulenta & cruenta effluxit, cui transitum præcludi nolimus, usque dum dolor & tensio illic loci penitus remitterent, huncq; ob finem unguentum rosatum cum diapomphol. mixtum in usum vocavimus, quibus reliquum materiæ detersum, viâque deinceps consolidatæ fuére.

S C H O L I U M.

Verissima esse quæ Cous l. 3. Aphor. 24. asseverat: ἐν τῇ τῶν ἡλικίῃ τοιαυτῇ συμβαίνει, τοῖσι μὲν σμικροῖσι καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν ἄφθαι, ἕμειοι βῆχες ἀγρυπνίαι, φόβοι, ὀμφαλὲ φλεγμοναί, ὥτων ὑγρότητες, experientia certissima rerum magistra docet, utque de prioribus nihil dicamus, symptomatibus longè frequentissimis, umbilici inflammati elegans heu sistimus exemplum, cujus causam Galenus comment. in cit. aphor. umbilici præcisioni attribuit, quam licet inficiari omninò nolumus, pars tamen funiculi umbilicalis sensilis aded non videtur, quæ ob sui in recens natis præcisionem, inflammationem ilico concipiat: aliam eamque satis crebram mali hujus causam in scenam producimus, sanguinis viz, in foetu edito intempestivam versus interiora vasis umbilicalis propulsionem, ne quid, uti imperitæ obstetrices ogganniunt, liquoris vitalis ipsis furripiatur: Fit hinc ut funiculo à placentâ jam liberato, sanguis jam grumescens, aut ad grumescendum dispositus, inter vasorum interstitia hæreat, ibidemque moram nectendo putrescat, & symptomata non levia infantulis inducat, usque dum per vias adaperatas denuò excernatur, quas aliàs provida natura statim occludere solet, utpote à functione suâ vasis jam liberatis, & cum in hepatis tum vesicæ ligamenta facessentibus: Recludit tamen illas eadem non rarò, ceu testantur abscessus per ipsum umbilicum vacuati, ex musculorum abdominis rectorum inflam-

inflammatione: pariter etiam per urachum aliquando arenulæ excretæ fuerunt, non exiguo pervietatis ejus fundamento, quàm in humano fœtu Viri Eruditissimi in dubium vocare ausi sunt: Notatu sanè dignissimum est, quod historiæ hujus ratione nobis Venerandus p. m. Senex Sponius impertiit XI. Maji An. supr. cit. Viæ, inquit, mentio à te facta, propter affinitatem in memoriam mihi revocat, rem olim Parisiis factam, atque à me observatam, in cadavere publicè dissecto Viri cujusdam prærobusti patibulati, cui dissectioni præerat tunc Mag. Helias Beda, Doct. Med. Paris. Cùm vasa umbilicalia perlustrarentur, & inter alia urachus ab umbilico ad vesicam usque per longitudinem diffunderetur, non paucæ arenulæ in ipsius urachi interiori recessu nidulantes deprehensæ fuerunt &c. Mirum sanè negotium, arduumque dictu utrum ætate demum adolescenti particulæ istæ, illuc depositæ fuerint, an verò à matre calculosa ejusmodi cum succo nutritio hauserit, quas per urachum cum lotio eliminare studiosa natura sategerit, hærentibus post partum reliquiis quibusdam in ejus angustiiis, quod ultimum fortè probabilius est, cùm post partum demum generatis aggestisque patentior per urethram illas excernendi via naturæ patuisset.

OBSERV. XCV.

Spasmus flatulentus insolitus.

Puella 14. circiter annorum, sub finem mensis Febr. 1682. cùm ægrorum curæ in orphanotrophio intenti essemus nos convenit, remedium efflagitans pro spasmo satis doloroso, quo nudius tertius manus ejus dextra prehensa fuit, & etiamnum affligebatur: malum contemplantes, digitos omnes rigidos reapse & difficulter flexiles, ceu terano correpti essent, non sine stupore invenimus: præscripsimus hinc fots ex herbis nervinis & emollientibus, salv. origan. fl. samb. chamom. hyper. camphor. croc. aliisque in vino decoq. quibus ter quaterve de die usurpatis hospes hic rursus exulavit.

S C H O L I U M.

De motibus convulsivis superius dictum est, monstratumque quid musculis illorum ratione accidat: Ad convulsionem Tonicam, spasmum flatulentum Practici referunt, cujus pertinacioris exemplum heic proponimus, ab irritante, musculis digitorum motoribus haud du-

biè penitus infixio oriundum, unde etiam spirituum contentio continuata fuit, quibus perpetim elatere suo fibras distorquentibus, rigidae illae perstiterunt, etiam praeter animae voluntatem, contigitque heic *τὸ τετανωμένον* in manu affectio, qualis in catalepsi universas ferè corporis partes affligere solet, de quâ alibi dictum est: Patet sanè in ejusmodi musculosarum partium symptomatibus, spiritus animalis aetherea natura, quâ in momento, pernecitate stupendâ, in ipsarum fibras porosas se expandit ac aliquandiu derinet, nî irritans materia tollatur, cujusmodi particulas rigidas aliterque aculeatas frequenter obtinet, quæ ubi tenuiores sunt, promptiusque dissipari aptæ, spasmo leviori, contra ubi condensantur, profundiusque impinguntur, graviori ac diuturniori ansam præbent, cui dehinc medicamentis discutientibus ac emollientibus, balsamicis ac nervinis medelam parare necesse habemus: Alias affectio ista Ebriosis, aliisq; ad Arthritidem inclinantibus familiaris esse solet, in quibus dictæ particulae irritantes usque cumulantur & præstò sunt: Virum novimus Illustrem huic malo adeo obnoxium, ut nusquam ferè ab illius Insultu tutus fuerit, affligebatque maximè musculos colli & thoraci incumbentes, in quo irritantis fomitem, aliunde quàm à malâ victus ratione, quâ falsa adamat gelidæque porum, deducere non valuimus: Huic proficua fuerunt Thermæ Badenenses nostræ, ad quas aliis de causis ipsum remisieramus: commendavit quoque anulos ferreos ex circulis catenæ patibulatorum confectos, quos ceu specificum ad spasmum flatulentum remedium plurimi laudant, quarum occultam vim, forte vel inanis superstitio aut compressio subsequens efficit magis quàm certa effluvia ex ipsorum poris emanantia, quæ nondum satis capimus; aliàs incipienti in musculis motui voluntario destinatis spasmo extensione partis validâ contranitentes, spiritus animalis motum aliter determinamus, utq; ab elasi suâ in fibris primi desistât efficimus.

OBSERV. XCVI.

Pleuritis à febre verminosa.

Filiolus quatuor & quot excurrit annorum, benè coloratus, vegetus & alacris, d. 22. Mart. Ann. 1686. præter rationem subtristior incedit, pulsus paulò frequentior est, color faciei pallescit, cum multâ in somnum propensione: rogatus ubi malè habeat, nullibi respondit: Exhibemus sub vesp. C.C. philos. ppt. gr. 15. à quo parùm sudavit, juxta paramus julep. alterantem: Noctu febris valdè ingravescit cum multâ trensatione & oppressione, inquietudine & respiratione crebrâ, siti item & tussendi frequentia, quam comitabatur dolor circa costas inferiores nothas late-

ris dextri punctorius, atrox : injectus fuit clyster sed citra successum; d. seq. manè, persistente calore exquisito cœterisque symptomatibus, præcautionis ergo sanguinem in brachio dextro ad $\text{z}iv$. mittimus, eductus hic laudabilis quidem fuit coloris, sed spissus & tenax: paratur mixtur. ex bland. diaphor. per cochlear. sumenda, & decoct. ordinar. ex rasur. C.C. nitrum saccharatum miscetur: circa meridiem angi incipit, febrisque exacerbari, quæ superveniente sudore remittit: circa noctem eadem redit cum trensatione molestissimâ, pulsus celer admodum & frequens, sitis intensa, genæ igneæ: siquidem alvus non respondit, injicitur clyisma addit. Elect. lenitiv. & mell. mercur. dejicit hinc binis vicibus copiam materiæ foetidissimæ, exhibetur pulv. ex resolventib. & diaphor. inquietus fit, trensat & incalescit, singultit cum dolore quem circa scrobiculum cordis & costas nothas inferiores monstrabat. Ventriculi regio tensa fuit: circa mediam noctem denuò dejicit maximè flatulenta: post melius habere incipit & febris remittere, Nares admodum pruriunt: offertur hordeatum quod sumit: somnus blandior obrepit: circa nonam matutinam diei seq. calor deinceps exacerbatur, sed citra tantam trensationem, idemque circa primam pomeridian. cessare cepit: Urinæ saturatæ sunt, pergitur in mixtur. diaphor. quam potui ordinario (quod ad medicamenta difficilis jam fuit) miscuimus: circa sextam vespertin. nova phlogosis sed remissior ingruit, hordeat. jam comedit, nec tantopere sitiit, d. postero melius habuit, nocte satis quietâ existente, pulsus tamen adhuc frequentior: urinæ hâc die turbari ceperunt cum sedimento viscido copioso: perrectum in iisdem, offam petiit hâc die sæpiusculè: sub noctem inquietudo aliqua accessit, cum calore, sed non acri, quæ circa medium noctis desit: alvum sollicitavimus suppositor. commun. sed frustra: altero manè injicitur clyst. ex lacte, à quo dejecit fæces cum materiâ viscidissimâ: exhibetur bis de die 3j & ultra Rasur. C.C. cum butyro: pulsus sensim ad ἀνυπερξίαν devenit, sitis imminuitur, appetitus redit, urgente tamen narium pruritu: d. seq. benè habuit, lumbricum adstantes in ægroti lectulo reperiunt: exonerat hinc alvum cum lumbricis copiosis: pergitur cum Ras. C.C. triduoque abhinc syrup. fl. pefic. aqu,

fic. aqu. cinnam. dilut. purgatur, à quo lumbricos rursus deiecit, indeque sensim convaluit.

OBSERV. XCVII.

De Lumbrico, Fascia lata dicto.

Petrus Ritter duodecim & quot excurrit annorum Ann. 1681. sub initium Maji, cum antè satis bene haberet, victuque parili cum ceteris in orphanotrophio uteretur, citra evidentem causam, insignia ventris tormina ilico persentiscere cepit, cum vehementi hypochondriorum distensione, quæ nunc remittebant, nunc fortius ingruebant: Biduo post per alvum excrevit corpus albicans, teres, ulnarum trium longitudine, non sine animi consternatione & sodalium qui adstabant admiratione, unà cum misello intestinum excretum esse arbitrantium, usque dum examine à nobis instituto fasciam latam esse audirent: Nostræ vocant ein Bändelwurm.

OBSERV. XCVIII.

Lumbrici per urinam & nares excreti.

Puer undecennis An. 1681. Mens. Novembr. gravissimis in hypogastrio doloribus divexari incepit, quibus Excellentiss. D.D. Burcardus Prof. heic Celeberr. vario medicamentorum genere occurrere studuit, illos tamen prorsus compescere non potuit, quin misellus animalculum vivum, corpusculo summo opere infestum, delitescere (ob ingentissima tormina) aliquoties ingeminarer, nec ineptè, licet fortè minus ex arte, siquidem postea vermem cum lotio excrevit, antennis pedibusque horridum.

Aliter figurati fuerunt illi, quos malè feriata quædam per nares excrevit, quorumque mentionem aliquam iniecit Excell. Celsus noster An. 1. Decur. 2. Ephemer. Rem omnem uti ad Nobiliss. Pythagoram d. 7. Jan. 1682, perscripsimus, heic enarrabimus: Nuperà septimanâ, (ita ferè orsi sumus) Mulier impudica, quæ pridem lue Venereâ laboravit, ab eadem feliciter liberata, Vermes aliquot præcedentibus atrocissimis doloribus capitis & foetore

foetore narium insigni, per nares citra sternutationem, vel præviam nauseam aut vomitum excrevit, albos, oblongos, pedibusque asperis minus horribiles: ubi isti delituerint, & an à capite prodierint, certò divinare non possumus, cum longiores videantur: & aliquando similes vomitu ejecerit: Id tamen adstantes confirmârunt, vidisse se in narium cavernis vermes fluctuantes, sensimque ex iis prorepentes, quos dehinc facili negotio ipsa extraxerit, &c. unde de antro ipsorum super narium cavernas magis suspicari aliqua incipimus, facilè tamen meliora docti obtemperabimus.

S C H O L I U M.

De lumbricorum ovis, & in corpore nostro generatione, unà cum Excellentiss. CELSO aliquando prolixius egimus, possuntque hac de re videri Epistolæ, Dissertat. de partib. genitalib. cochlear. annexæ: semina sanè vegetabilium Cerealia, & in specie secalina & triticea, vel immediatè in pulte farinaceâ, vel mediâtè cum pane comesto ingesta, imò & alia edulia multa, seminali horum insectorum contagio imprægnata sunt, quæ dehinc non subacta à fermentis ventriculi & intesti-
norum, & unà particulis chyli crassioribus immista, nunc in intestinis hærent, mucoque horum viscidioribus, quem illæ sovent augentque, ceu nido proportionato fruuntur, nunc cum iis, quod tamen infrequentius esse arbitramur, vasa lactea, sanguinisque oceanum subeunt, & ad partes varias vehuntur, ubique accedente calore loci motuque congruo, exclusionem sui datâ occasione expectantia: Et de illo quidem febres verminosæ ac lumbrici ab infantibus puerisque, diætâ non usque ordinatâ utentibus, sed pane sicco fructibusque horariis gulam multam oblectantibus, quibus digerendis & secundum omnes suis particulas subigendis, menstrua dictarum partium, quamvis pro ratione ætatis satis activa, usque non sufficiunt, quin cumulatæ particulis viscidioribus, de quarum copiâ pituitosa ac mucosa foetida, in historiâ priore nominata unà cum lumbricis, ut & tænia in histor. 2. testari potuerunt: de hoc verò testantur vermes in visceribus internis generati ac Anatomicorum industriâ deprehenfi, præprimis autem, iidem per urinam excreti: nec enim veri simile est animalcula ejusmodi in intestinis generata, oscula lacteorum ingredi, hincque continuato itinere ad renes pervenire: & his post prævios atrocissimos dolores eliminari: Fuit sanè vermis iste similis illi, quem *Plutarchus* Sympos. L. VIII. qu. IX. scribit ab hospite suo Athenis cum multo semine excrerum fuisse: *θηρίδιον λευκόν, καὶ πολλοῖς πρὸς τοῦ ἐκ-
δίδου*

ἄλλοι: Ita quoque meminimus in Renibus caninis idem animalculi genus nos deprehendisse, & Clariss. *Rhases noster* exemplum simile Ephemeridib. inferuit, cujus apud nos mentionem sæpius injecerat: Propius huc accedere videtur Res monstrosa per urinam excreta, de quâ Dissert. Philosophico Medicam conscripsit Dominicus de Marinis, Doct. Med. Roman. in 12. ubi corpus quoddam teres ac membranaceum, per urinam à Capuccino quodam excrementum delineatur, longâ adjunctâ discussione, tale corpus neque grumum sanguinis, neque polypum, neque serpentem, (quæ singula in microcosmo non rarè reperiri faretur,) quin imò lumbricum, eumque monstrosum fuisse existimat: Haec ipsa autem Lumbricorum diversitas in specie, ovulorum à diversis insectis seminibus eduliisque vulnere inflictò asperforum varietatem arguere videtur: quam jam prolixius rimari consultum non est, inprimis quod nostram Hypothesin Illustriss. D. Redi de generat. Insector. tract. optimè confirmat: Equidem Lumbricorum ab infantulis communiter excerni solitorum, semina ferè cum pulte hauriri, seminibusque supra nominatis inesse, in confesso esse arbitramur: Tæniarum verò ovula, cujusmodi unam longitudinis ulnarum Gallicarum novem, ab anu pauperculâ, ventre asciticum in modum inde intumescente, excretam vidit ὁπάρυ καὶ οὐκ ἐν ἀγίοις Carolus Sponius, à quo insecto deponantur, cuiq; edulio præcisè aspergantur, dicere certò jam non licet, quamvis in ejus ortum, sive mavis, Parentes inquirere opus laude dignum censeamus, ipsiq; constituerimus illi horas subcivivas impendere: In canum molosorum maximè, intestinis ejusmodi vermes cucurbitinos, capitello exiguo, reliquoque corpusculo ex innumeris quasi circinnis formato, sæpenumero reperimus, quibus cum analogiam habere fascia lata videtur. De Vermibus per nares excretis lis major nobis suborta fuit, viis quibus ovulum illuc deveniat, non aded patulis existentibus: Nota sunt, quæ cùm Nobiliss. Redi de Vermibus in capitibus vervecinis, cervinis &c. ubique peculiaribus reperiri solitis commemorat, tum experientia confirmat, quorum ovula aut per vulnus, inflictum intra sinus ossis frontis ibi deponi, vel per alias vias eodem trahi aut devenire necesse habent: Inde certè nata nobis suspicio fuit, in maleferiatâ hac feminâ idem contingere potuisse, placetque hinc eruditas Nobilissimi Pythagoræ nostri Responsorias apponere: Pro historiâ de vermibus per nares excretis, gratias Tibi ago maximas: Illos intra sinus ossis frontis supra ossa spongiosa genitos fuisse judico. Profectò brutis hic loci vermes succrevisse aliquoties notavimus, canibus præcipuè & ovibus: Idem accidisse impuræ huic Mulieri testatur fætor narium: Lumbricos autem vomuerit aliquando licet, tamen quos naso nunc edit vermes, è ventriculo non sunt: Rectâ enim regiâ, viâ per os egredierentur potius, quàm per narium angustias; Nec facîle fieri posset, si per guttam ascenderent, quin agra id sentiret.

sentiret. Quibus demum frons verminat, ii à capitis dolore nunquam sunt immunes, sed ingravescit ille maximè cum latens reptile molitur exitum, sensu enim pollent & abundant nervis nasi penetralia, ut non possint non agrè ferre violentiam: Legi denique merentur quæ togatorum doctissimus Varro scripsit l. i. de Re Rust. c. 12. in locis palustribus sæpicule animalia quædam minuta crescere, quæ non possint oculi consequi, & quæ per aëra intus in corpus per os ac nares perveniant, efficiantque difficiles morbos: Quid nî ex talium animalculorum ovulis tum in ovibus tum aliorum animantium capitibus depositis, tractu temporis varii vermiculi excludi possent? Verba sunt Celeberr. Sponii Patris: De cætero atrocissima, eaque sæpè funesta symptomata inducere, fœtus hosce, cum viscido in quo stabulari amant, quotidie edocemur, & præsentis historiæ usque confirmant: An. 1686. puer novennis subito de cardialgiâ conqueri, capitisque dolore & vertigine cepit, cum pridie bene habuisset: obambulat tamen, ut Parentes inde minus solliciti fuerint, post prandium simul & semel in deterius labitur, vertigo incrudescit, caput artusque succutitur, oculisq; torvis Matrem aspicit: Accersimur confestim, ægotulumque materiam viscidam evomentem invenimus: Exhibetur ilico bolus ex Dialcord. propinatur cochleare unum alterumve mixtur. antepilept. & injicitur clyster. à quo fœtidissima dejicit: remittentibus symptomatibus vermes ilico subolfacimus, inde pulverem nostrum anthelminticum d. seq. exhibuimus, à quo subsequente vomitu binos per os excrevit cum *Alph. 1686*: Nec leviora mala pepererunt in filiolo nostro, aded ut pleuritide verâ ipsum prehensum iri metueremus: enim verò à communicatis maffæ humoralis miasmatis putridis unâ cum chylo ex intestinis per vascula lactea accedentibus febrilis motus sustentatus auctusque fuit, spiritus autem animalis ab iisdem intestinorum ventriculorumque fibrillas aggredientibus, irritatus, unde spasmodicè affectis iisdem, anxietates, tressationes & inquietudines subsecutæ sunt, imò unâ patientibus peritonæi & membranæ musculos abdominis, transversum præprimis & obliquum interiorem, investientis fibris, quas ejusmodieffluvia commodum vellicare solent, dolores circa costas nothas inferiores pungitivi subortî sunt unâ cum tussicula sicca, à fibrillis œsophagi & trachæ per confinitatem nervorum vicissim stimulis: Propensio verò in somnum, si exhalationes sulphure fœtido prægnantes, aque vermibus & materiâ verminosâ prodeuntes, spiritui animali nocivas, imò deleterias agnoscit, sanguini tamen tenaciori ac viscidiori plerunque, licet in vehementiorem motum agi incipiat, indeque vasa opplendo comprimenti tantisper corticem exteriorem cerebri, simul adscribi posse videtur: Substituerunt ista aliis cum symptomatibus, donec medicamentorum ope diaphoresin subinde promoventium, viscidum verminosum ex parte solu-

cum, particulæ massæ humoralis impactæ subactæ & infractæ, tandemq; lumbrici ipsi unâ per alvum eliminati fuere: Ven. Sect. verò idèd potissimum instituimus, ut sanguini stagnaturo obicem tolleremus, præcaveremusque veram Pleuritidem, quæ tum temporis plures cujuscunque ætatis invasit, & frequenter à sanguine tenaciore & ad hærendum apto produci consuevit: de vermibus in carne emortuâ sensim pullulare incipientibus, quorum supra histor. de *άρουθνητα* artuum inferiorum meminimus, negotium expeditu adèd difficile non est, expendentibus nosipsum seminia cum eduliis tam frequenter ingerere, & sanguinis lymphæque motum in ejusmodi, spirituum influxus penuriâ admodum torpescere & stagnare, esseque visci talis intra musculos subsistentis ac putredinem concipientis focus longè aptissimum, pro iisdem suscitandis, quibus dehinc nullâ ferè industriâ obicem ponere possumus. Quæ insuper symptomata alia lumbrici rodendo ac vellicando variis in locis partes sensiles parere soleant, cum in historiis dictum est, tum è Practicorum libris Hollerio præpimis p. 420. colligi poterit: Nobis ista delibasse satis est.

OBSERV. XCIX.

*Historia Infantuli Epileptici, ex intestinorum
tenuium erosione & gangranosi.*

D. 5. April. vocati fuimus ad Infantulum trium septimanarum, qui miris vexabatur ventris torminibus ab ipso ortu: quibus ab initio mulierculæ ol. amygd. dulc. cum sacchar. occurrerunt: posteaquam verò malum magis ingravescere animadvertenterunt, nostram implorârunt opem: Omnibus probè exploratis reperimus torminibus incipientibus, spasmodici quid secundum fibras œsophagicas accidere, à quo deglutitio impediatur, & misellus singultientis instar clamitet: deiciebat viridia odoris acris, appetitus prostratus fuit, sitis intensa. De iracundiâ Matris cum aliquâ ex parte nobis constiterit, magis de diætâ tempore graviditatis percontati fuimus, quæ satis inordinata fuit, dum carne suillâ & brassica capicrata salitâ (nostrates vocant *Saurkraut*) admodum palato blandita fuit: Præscripsimus antepileptica nervina, absorbentia & præcipitantia, atque externè Bals. de Peru & ol. nucist. ventricul. prospeximus, matri quin etiam tragemâ suavisimus ex spec. diatrag. frig. gumm. arab. ocul. cancer.

cancr. ppt. rasur. ebor. corall. rubr. ppt. cum sach. ros. tab. Verum enim verò biduo post convulsiones evidentius comparuerunt, dum emissio prius flatu sonoro, in faucibus difficultas major incruduit, & manus pedesque variè contremuerunt, injectum clyfma ex lact. vaccin. cui additur ol. rut. cum sale tartari & ordinat. mixtur. antepil. ast nequicquam his effectum, minus aliis à garrulis mulieribus hinc illinc allatis, quin imò convulsiones tanto impetu misellum prehenderunt, ut mirari subierit maximè, qui tot armatis tamdiu resistere misellus potuerit, si quidem post decimum demum diem, corpusculo verè enecto, fatis celsit.

Secuimus cadaverculum præsentibus Vir. Præstantiss. D. Ritz. Affine nostro Pharmacopolâ, & D. Passavant Chirurgo: Abdomine aperto intestina admodum erant distenta, crassaque cum tenuibus materiam viridem, grumofam, qualem invivis cum torminibus acerrimis sæpius excrevit, monstrârunt: Intestina tenuia heic illic qualemcunque ruborem conceperant, præpræmis autem sub finemilei ad aliquot 3 manifestam gangranosin deprehendimus: Cæcum parvulum inane & vacuum, à labe immune fuit, hepar subpallidum: Vesicula fellis bile subviscida & viridi plena, pancreas duriusculum, eâ etiam parte, quâ duodeno nectitur: Mesenterium & renes, qui bubulis similes erant, laudabiliter habuerunt, nec pulmonibus quidquam vitii inerat, quin tenerrimæ vesiculæ egregiè in his conspicuæ: Cranii futuræ, anterior & posterior, insigniter ab invicem dehifcebant: sanguinem quoque extravasatum cranium hic, illic monstravit: cerebri meninges huic aliquo modo erant adnatæ, quibus disruptis modicum serum promanavit, quale concretum in cortice quoque hinc inde notavimus, cum sanguine grumoso & extra vasa stagnante, haud dubiè ab hujus motu, ita graviter infestantibus moribus spasmodicis impedito.

OBSERVATIO C.

*Convulsiones interpolate in infantulo
testiculis in scroto destituto.*

D. 15. April. 1682. cultrum iniecimus infantulo 7. mensium, matre hypochondriaca pronato, quæ tempore gestationis præcipuè, animi pathematis vehementioribus sæpius se vexari passa est: misellus hic cum primis mensibus bene haberet, parentibus haud parvam sollicitudinem creavit, quod signo masculo in scroto caruit, inde deterius habere incipiens, respiratione anhelâ, voce clangosâ, & abdominis intumescentiâ subitâ, quam flatus sonori erumpentes quandoque præcesserunt, matri gravioris doloris causa extitit, usque quaque tamen diu non isthac durabant, licet in die sæpius interdum, interdum rarius redierint: Causa mali humori acri, irritanti per vices fuit attributa, stagnanti circa ventriculum præcipuè & intestina, atque ad hanc medicamenta præcipuè fuere directâ: Ægrotulo ad se redeunte, alimentum porrectum gratum fuit, ad ultimos ferè dies usque, quibus symptomatibus istis mirè reiterari incipientibus copiosius magis indies delassatum fuit, tandemq; penitus succubuit. Abdomine quod faciem externam tumidam & lividam ostendit aperto, ichor modicus foetidus prorupit: Hepar grandiusculum satis erat, in superficie nigricans, reliquâque parte cavâ admodum corruptum. Vesicula fellis cum ductu hepatico, bile ex atro viridescente plena fuit: Intestina tenuia variis in locis ab humorum acrimoniâ inflammationem passa fuerunt, citra gangranosin tamen: In cæco nihil delituit vel humoris acris, vel p. n. Mesenterium glandulas rutilas hic illic ostendit, lieni itidem corrupto, adjacebat glandula ovalis minuta: pancreas laudabiliter habebat: Renes quasi ex pluribus lobulis conflati, quorum alterum etiamnum in sp. vin. custodimus: Testiculi inguina non egrediebantur, quin his adnati hærebant, unde etiam in scroto illos animadvertere nusquam licuit: Pulmonum lobus, sinister, inferior à sanguine stagnante corruptelam evidentem contraxerat: Corculum satis magnum pro ætate, auricula dextra sanguine grumoso turguit, & in ventriculo dextro polypus majusculus hæsit.

S C H O L I U M.

Infantulorum affectus multiplices eruditè enuclearunt, cum Celeberr. Sylvius, cum Excellentiss. Ettmüllerus, Valetud. infantil. Inter hos crebrior

crebrior sanè nullus est quàm Sonticus, qui propterea *παιδικὸν πᾶσι* *κατ' ἐξοχὴν* ab Antiquis saluari meruit, cui occasionem non ultimam improbius matricularum diætā, dum vel animi pathemati graviori, iræ præprimis, vel acidorum plurium esui etiam cùm gravidæ sunt, sæpius indulgent, unde sanguini succoque nutritio hinc permisto, vel lacti noxia qualitas abunde conciliatur, quā aculeatis salsacidis particulis fibrillæ nervæ ventriculi & intestinorum teneriorum, mucoque obmuniante nondum satis vestitorum, indeque etiam *ἡ πίζωσις* nervosi generis ætatulæ tam delicatæ vellicantur, inque spasmodicas constrictiones sensim aguntur, præcedentibus tantisper torminibus, flatibusque sonorosis, deglutitioneque ex constrictis œsophagi fibris impedita, quibus & nervi intercostalis, ob ramorum cum furculis vagi superius citatâ in abdomine complicatione, affectio spasmodica unâ accedit: Quicquid sit, perspicuum sanè evadit studiosè affectus infantum rimantibus, succum acidum, nunc viscidum plicisq; dictarum partium impactum, nunc tenuiorem & aqueo-serosum rodentem, vasculorumque oscula, vel denudantem, vel etiam fibrillas in motus spasmodicos concitando, sanguinis liberum refluxum cohibentem, sicque gangrænosin inducentem causam proximam esse & radicem quâsi, ex quâ tot infantiles morbi, convulsivi præcipuè motus propullulent: Atque hujus acidi viscidum fomitem lac præcipuè constituimus, indeque pulres ex hoc cum farinâ confici solitas, viscosum gluten vel primo aspectu sistentes. Lac verò sub sui corruptelâ mille larvas induit, uti præclare loquitur perpetuâ laude digniss. Ettmüllerus, mille hinc nocendi artes, in specie quando in infantis stomacho corrumpitur, indeque in intestinis ab adventantibus bile & sero pancreatico variè alteratur, & à restitantes collectisve excrementorum particulis variè coinquinatur: Acrimoniam certè hujus, præter effectus in historiis nominatos, indicium evidens viridis color est, acidum acre potissimum agnoscens, cujus generationem in praxi suâ explicat præfatus Sylvius: Viscidum autem ex acido falsoque ferè prodit, agglutinatumque interstitiis hæret, & spicula sua quandoque pertinaciùs infigit, ut excuti mox non possint, ceu istud in infantulis pluribus ab aliquo tempore notavimus, qui primùm trensatione circa præcordia visibili prehendebantur, mox ejulatu tormina significantes fæcibusque alvi, nunc lacti coagulato similibus, nunc viridescentibus & graveolentibus, unâ cum flatuum copiâ: deinde verò malo in crudecente, fomite profundius impacto, motibus convulsivis affligi ceperunt per intervalla, iisque paulatim ingravescentibus, à quibus tamen exhibitio sulph. antimon. Ettmülleri liberati fuerunt, utpote quo viscidum ejusmodi eradicatum, vomituque hinc copiosè & ad stuporem adstantium ejectum fuit, ut meritò ejus usum prudenti Medico tutum & citum

& citum commendare possumus. De irâ quæ diximus, experientia comprobatur & ratio confirmatur, cumque in hac spiritus animalis primario concitetur, equantum inde alterationis lacti materno accidere possit, eodem per nervulorum infinitas propagines impetuoso affluenti, & cum illo ab infante mox hausto divinare difficile non est, inprimis si perpenderit, arctissimam, quam inter cerebrum spiritusque matris & fœtus in utero. Omnis Sapiens Rerum Conditor communicationem & quasi connubium esse iussit, hoc ipso in lucem excluso non statim cessare, tenerrimasque infantulorum fibrillas ab istâ spirituum inopinatâ ~~in~~ ⁱⁿ ~~et~~ ^{et} graviter lædi, licet objectorum impressionibus illos jam assuefecisse parumper matres videantur: Eleganter certè Ingeniosissimus Malbranchius: Quum primum tenebris emergens infans, lumine potitur, aëris circumjacentis frigus ipsius artus exemplò invadit, mollibus mulieris ipsam suscipientis amplexibus, delicatula ipsius membra læduntur. Cuncta objecta externa ipsi imbelli ac inerti, utpote inusitata terrorem incutunt. Lacrymæ & vagitus quos edit ipsius dolorum formidinumque argumenta sunt. De cœtero quæ de meconio in intestino cœco aservari solito, torminum post partum non raro atrocium matre plurimi è Veteribus asseruerunt, universalia non esse, intestinum vacuum in utroque infantulo probatur, cum tamen moribus convulsivis ab eodem labem funestam inducente, uterque correptus perierit. Dubii quoque sumus ec quem usum in embryonibus præstet: cum frustra non adsit: si omnino amplius in his deprehenditur, verisimile nobis videtur, mucaginis excrementitiæ, quam cum liquore amnii hausit, portionem aliquam aservare dum meliorem consistentiam acquirat: Edito verò fœtu usus hic prorsus fatiscit. De Renum etiam lobulosâ substantiâ, quæ Scholio hist. 75. superius attingere cepimus utrinque confirmantur, miratiq; fuimus sæpius cervorum hinnulorum & damarum eandem configurationem, cum vaccarum, vitulorumque renibus non obrinere: Coronidis loco, quæ priorum occasione Excell. Sponius An. 1682. nobis significavit heic addemus: De Renibus, inquit Infantium è pluribus quasi lobulis compositis quod subjungis, planè quadrat cum spectaculo, quod olim mihi tum Juveni, magnæq; Philiatruræ coronæ demonstrabatur Paris. à JO. RIOLANO τῷ πᾶν in publicâ fœtus Anatomâ, ubi ex ipsius loquentis ore sequentiâ à me scripto mandata sunt: *Renes ex multis veluti glandulis conglobati, nuci pineæ similes sunt, suis nucleis constanti.* Item Appendix cæci in fœtu exilis est, nequaquam verò ut omnes passim crepant Anatomici, ampla ad fœcum alvinarum receptionem.

SOLI DEO GLORIA.

INDEX